

**Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker/ D. & P.P. Ad  
Eundum Exequias Quas ... Andreeae Schmalbach/ Senatori Reipubl.**

**Rostochiensis prudentissimo Vidua eius maestissima Hodie ... paratas cupit.**

**Omnes Literatos & literarum Fautores ... invitat ...**

Rostochii: Kilius, 1661

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420732>

Druck    Freier  Zugang



**Redecker, H.R.,**

in

**A. Schmabach.**

Rost. 1661.







W

RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
**HEINRICUS RUDOLPHUS**  
Redeker D. & P.P.  
AD EUNDUM EXEQUIAS

Quas

VIRO Amplissimo & Clarissimo

**DN. ANDREÆ**  
Schmalbach/

Senatori Reipubl. Rostochiensis pru-  
dentissimo



Vixua ejus mæstissima

Hodie hora I. in Aede Marianâ paratas  
cupit.

Omnes Literatos & literarum  
Fautores, præcipue Cives academi-  
cos officiose invitat & sedulo  
hortatur.



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1661.





RECTOR UNIVERSITATIS ROSTOCH.  
**HEINRICUS RUDOLPHUS** *Xedeler*  
Civibus academicis

*Salutem!*



Uemadmodum in rebus humariis nulla calamitas sola est & adversitas adversitatem plerumque comitatur: Ita etiam Reipublicæ nostræ urbanæ, infortunii procœllis sat agitatæ, hoc tempore proh dolor! accidit. Non ita pridem optimo Domino Consuli Viro quondam egregio, justa post obitum persolvimus: Hoc dolore nos urgente & vulnere vix obducto, amissimus irerum infelici fato Virum Amplissimum & Clarissimum DN. ANDREAM

SMALBACHIUM, Reipublicæ Patriæ Senatorem meritissimum. Cujus mors tanto acerbior bonis est, quanto majori laude Reipublicæ & communis civium saluti indefessa opera Vir Optimus & Integerrimus præfuit. Testatur hoc communis de hoc Clarissimo Viro perceptus luctus, comprobatur fama virtutum & recte factorum buccinatrix, tandem in lucem hoc producit vita ejus ab incunabilis usq; ad mortem præclare peracta. Quā sicuti attestante veritate accepimus, ita eandem posteritati relinquere, merita ejus exigunt. Prodiit autem piè defunctus D N. ANDREAS Schmalbach in hanc mortalitatis lucem, die 25 Novembr. Anno 1610. in hac nostra civitate, ex parentibus optimis & honestissimis. Pater ejus fuit Specta-

Spectat:DN. CHRISTIANUS Schmalbach / Civis & Provisor ad Edem S.  
Spiritui sacram industrios. Mater per Dei gratiam adhuc in vivis & in ve-  
neranda canitie ætatis 76. existens, est laudabilis matrona CATHARINA  
Amselfs. Avus paterni generis fuit quondam Honorabilis vir DN.  
JACOB Schmalbach / Civis & nauta Rostochiensis dexterimus: Avia  
paterna fuit decora marrona ELISABETHA Heydenreichs. Avus mater-  
ni generis fuit vir Spectatiss: & Praeclarus DN. ANDREAS Amself Musicus  
Senatorius hujus urbis artificiosissim⁹: Avia Materna fuit optime ornata Ma-  
tronra MARTHA Hildermans. His majoribus pie defunctus progeni-  
tus, postquam hanc lucem aspicerat, statim per S. baptismam in certitudinem  
vitæ æternæ regenitus est, nomenque Andreæ accepit. Quoniam autem  
educationis maxima vis est, ex qua totius reliquæ vitæ expectatio depen-  
det, sicut in semente spes felicis messis potita est: Idcirco optimi Paren-  
tes Dn Defunctum publicæ Scholarum in Patria hæc sua disciplina im-  
penfissimo studio commiserunt, quæ tanquam virtutum nutrix, ad erudi-  
tiendam mentem, alias naturā ipsa bene instructam & ad studia propensam,  
plurimum valuit. Hac ratione Praeceptores aliquæ Viri Praeclari illecti Dn.  
Defunctum ob boni ingenii excellentiam magno amore complexi fuerunt,  
& ad discendum indies calcar quasi & fomentum virtutis addiderunt.  
Jactis itaque primis studiorum fundamentis in Scholâ Patriâ, ingenii ex-  
coleadi & mores addiscendi causa alias præclaras Scholas visitavit, & de-  
cimo ætatis anno Gustrovium progressus, ubi Scholâ triviale, Praeceptorū  
industriâ fatis laudatam, per tres annos sedulo frequentavit. Successu tem-  
poris in celeberrimis Gymnasiis scilicet Brunsvicensi, Hildesheimen-  
si & Mindensi, per 4. annos doctrinæ & informationi animum accommo-  
davit attentissimum. Semper autem præter alia virtutis & bona mentis  
specimina, Musica, quam tanquam alteram naufragii tabulam, præsertim  
in illa temporum adversitate semper amplexus fuit, omnium hominum  
amorem ita in ipsum derivavit, ut Mater ejus nullos ipsi ad studia sumptus  
sopportare necesse habuerit; largissimè sumptus studiorum administranti-  
bus illis, quibus liberalis ejus doctrina curæ & excellens musica delectamento  
fuit. Tandem incrementa studiorum felicissime latius proferendi & Scu-  
las Regias adeundi suasor & author ipsi extitit Avunculus ejus Vir Prae-  
clarissimus atque Doctissimus DN. M. PANCRATIUS AMSELIIUS,  
Coronatus Poeta Cæsareus & per 32. annos Cantor Templi Jacobei  
meritissi-

meritissimus. Hinc relietâ urbe Minda Anno 1631. adiit Vicinam Westphalorum Academiam Rintheliensem, in qua per duorum annorum subsistentiam, singularia eruditionis & virtutis sua edidit specimen, quæ passim ex conversatione & familiaritate Excellentissimum DNN. Professorum aliorumque Praclarorum Virorum cumulavit. Fundamentis bene positis Anno 1633 in Patriâ iterum rediit & in Academiâ hac, cui jam propter inculpatos mores & studia feliciter cepta innotuerat, per aliquot tempus honorifice substitit, donec vocatus fuisse in Holstia à Nobilissimo & Excellentissimo Viro Dominio THEODO-RO BUSSIO Jcto celeberrimo & Cancellario Hols. dignissimo, ut filium ejus in literis & scientiis informaret, quod officium tribus annis, summa cum laude & tanti viri applausu sustinuit. Ratus autem optime, maximum, ad prudentiam conciliandam, doctrinamque semel mente conceptam eo perfectius expoliendam, momentum afferre, si exteris visitaret regiones, locorum consuetudines cerneret, & varia hominum ingenia cognosceret, in Hollandiam ivit & in Academia Lugdunensi per dimidium anni spatium commoratus est. Inde in comitatu & familiaritate virorum Illustrium & Praclarorum in Galliam progressus est, ex hac in Italiam ubi urbem admiranda reipublicæ forma florentissimam Venetiam & per universum orbem famigeratissimam Iedulo perlustravit. Sed periculorum, aliorumque obstaculorum impedimentis ne ulterius progrederetur absterritus, pedem retrorsum sustulit & in nomine Dei ex Italia domum per Styriam & Austria-  
m instituit, ubi favente occasione multas insignes Vrbes & Regiones in quibus visu & notatu digna occurruunt, confexit. Quandoquidem autem omnes amore Patriæ trahimur, & fortissimus quisque haec cupiditate ducitur; Ita similiter pie defunctum idem amor incendit, ut ardentissime illam desideraret, & diu desideratam tandem feliciter post emensa itinera amplectaretur, quam simili gaudio ut olim Ulysses ad suos reversus, honeste petivit.

*Non dubia est Ithaci prudentia sed tamen optat  
Fumum de patriis posse videre focis  
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos  
ducit & immemores non sinit esse sui.*

Hae

Hæc uti piè defunctum ceu civem bonum & ad majora natum libenter  
recepit, ita amore & benivolentiâ eundē prosequuta est, ut primū re-  
vertenti Secretarii tutelaris munus ei offerret: quod ita fideliter & pru-  
denter administravit, ut dignus esset qui ulterioribus admoveretur con-  
siliis. Interea providentia divina ita disponente adhibitoq; consilio  
utriusque partis cognatorum, Anno 1644. post festum Paschatos, cum  
Ornatissima & Virtutū laude conspicua Fœmina WENDULA Wese-  
batis/ Clarissimi Domini CASPARI BOLDEBUCHII, quondam  
inclitæ Facultatis Juridicæ Secretarii meritis, relicta viduā, matri-  
moniū inivit. In quo matrimonio quietis & tranquillitatis fructu sensit  
maximos, dum per Dei gratiosam benedictionem novem liberos pro-  
genuit, inter quos primogenitus filiolus ex utero prodiens non  
potuit propter imbecillitatem, vitali lucis usura frui. Cœteri uti AN-  
NA MARGARITA, VRSULA DOROTHEA, NI-  
COLAUS HENRICUS, JOHANNES CHRISTIANUS,  
WENDULA DOROTHEA, JOHANNA, CASPA-  
RUS ANDREAS & CATHARINA DOROTHEA, feliciori  
aspectu parentes affectere. Interim URSULAM DOROTHEAM  
& JOHANNAM mors in tenerrimâ ætate parentibus etiam eri-  
puit. Reliqui adhuc vivunt superstites & cum matre viduâ jam mæ-  
stissima, præmaturum defuncti Parentis infelicem obitum accerbissi-  
mè lugent, quibus consolationem à Deo firmissimam, ejusq; præsi-  
dium, tutelam & auxilium animitus apprecamur. Quod attinet reli-  
quum vitæ curriculum & honores quos piè defunctus præclarè gessit,  
compertum habemus Anno 1650. per legitimam suffragantium electi-  
onem Oeconomiæ Ecclesiasticæ administrationem ipsi commissiam  
fuisse; quam dextre & fideliter, quamvis non sine laboribus & mo-  
lestiis usque ad finem vitæ sustinuit. Anno 1651. à Nobilissimo  
Equitum ordine Provinciali & aliis Statibus Mechl. ad munus Secreta-  
riatus, in quo fidei & dexteritatis præclarâ reliquit documenta, voca-  
tus est. In hac functionum & fortunâ varietate propter virtutes  
indies splendidiores effulgentes, à Patribus hujus urbis clarissimis, ha-  
bita accurata deliberatione die Matthiæ Anno 1653. honore Senatorio  
decoratus fuit: Illic bono publico præstitit, quicquid pro innata in-  
dole & doctrina liberaliter hausta potuit. Siquidem sagax fuit in consi-  
liis, indefatigatus in actionibus, & in itineribus pro salute Patriæ ob cun-  
dis.

dis præsens, dū ex ingenio sagaci ac judicio excellenti quicquid ad Rei-  
publicæ salutem pertinere unquam visum fuit, largissime deponuit; In  
summa Civem bonum & Senatorem optimum laudabiliter se prä-  
buit. Morbum ejus, qui non ita pridem mortem antecesserat Excellentissi-  
mus & Experientissimus Dn. D. JOHANNES BACMEISTE-  
RUS Medicinae D. & P.P. Amicus & Collega noster honoratissimus ita  
refert: Amplissimum & Consultissimum jam piè denatum Dn. ANDRÉ-  
AM SMALBACHIUM primario scorbuto laborasse statuo. Biennium  
siquidem est, ex quo de spontanea totius corporis lassitudine, crurum debilitate  
& dolore obtuso cum maculio rubicundis, pectoris angustia, diffcili respiratio-  
ne nec non viridi coloris ad lividum mutatione, conqueri cepit, que omnia ab-  
unde satis scorbutum in corpore latitare testantur. Et quamvis statim ab  
initio appropriatis usus sit medicamentis. Tamen ob pravam viscerum  
dispositionem malum penitus tolli non potuit. Sed sub finem præteriti an-  
ni cum Suerini comitis provincialibus interesset, vires suas ita intendit,  
ut non aliter quam sedendo respirare potuerit. Accedebat insuper tussis  
gravissima, pedum abdominisq; intumescentia sat insignis, aliq; quam  
plurima symptomata gravissima, que spretus omnibus tam à præsentibus  
quam absentibus variorum locorum Medicis (quorum consilio per literas  
utebatur) adhibiti:is remedium, tandem totum corpus adeo viribus exhausta-  
runt auctoritate ut natura pariter pariterq; illius ministri Medici tan-  
quam nihil deinceps sufficiunt animum despondent. In ipso itaq;  
fati limine constitutus, mortem non solum animose exceptit, sed etiam  
Christiano dignam præparationem instituit, durante sex septimanas  
Virum plurimum Reverendum & Excellentissimum Dn. CASPA-  
REM MAURITIUM, SS. Theolog. D. P. P. & Superintendentem  
fidelissimum, Amicum & Collegam nostrum honoratissimum, expe-  
tiit, & ex ejus sacro verbi divini ministerio, præmissâ seriâ confes-  
sione, animæ salutarem cibum, nempe sanctissimum corpus & san-  
guinem Christi in pignus & certissimam futuræ cœlestis vitæ spem,  
devotissimè manducavit. Hoc munitus robore & indies seriâ verbi  
divini meditatione firmatus, die 19. Mensis hujus Martii intrepide  
postquam annos 51. vixerat, vitam cum morte commutavit, ani-  
mamque Creatori & Redemptori suo reddidit. Neque etiam,  
cum in miro hujus mundi theatro, varium fortunæ lusum diu susti-  
nuisse,

nuisset, communem omnibus hominibus legem, quā nascuntur, vivunt ac morte tandem extinguntur, à se alienam credidit; quin omnia illa spreverit quæ præterea cuncta credidit: Adeoque animam suam cœu particularam divinæ auræ, cum Davide & Stephano non potuit tertiæ custodiarum committere, quam si eam, jucunda vicissitudine anxietatibus humanis liberatam, in tabernaculum pacis, piis precibus & verâ fide, in æternum elocaret. Ubi, depositâ vita miserâ, fruitur in effabili splendore triunvi Dei: lucidissimo angelorum fulgore: Patriarcharum sanctissima societate: Sanctorum Prophetarum consortio: & omnium Electorum gloria æternitate. Cæterum cum Viri hujus laudatissimi exanimata membra christianam sepulturam jure merito exigant, non possumus pio deesse officio, quin illud quod ipsi nobis post mortem fieri cupimus, Viro Optimo & de omnibus bene merito præstems. Quare omnes & singulos qui Academicam jurisdictione venerantur sedulo hortor atq[ue]amicè rogo, ut frequenti decore ultimum honorem illi persolvere dignentur, qui omnibus & singulis dum viveret, nullum pietatis officium denegavit.

Dabam sub sigillo Rectoratus, 26. Martii.

Anno 1661.

Conventus erit hora I. in templo  
Mariano.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn777420732/phys\\_0013](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420732/phys_0013)

DFG





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn777420732/phys\\_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420732/phys_0015)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn777420732/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777420732/phys_0016)



dis præsens, dum ex ingenio sagaci ac judicio excepimus publicæ salutem pertinere unquam visum fuit, la summa Civem bonum & Senatorem optimus habuit. Morbum ejus, qui non ita pridem mortem a simus & Experientissimus Dn. D. JOHANN RUS Medicinae D. & P. P. Amicus & Collegans referunt: Amplissimum & Consultissimum jam pie AM SMALBA CHILLM primario scorbuto labore squidem est, ex quo de spontanea totius corporis lassitudine & dolore obtuso cum maculâ rubicundâ, pectoris angustia nec non vividi coloris ad lividum mutatione, conquisitum satis scorbutum in corpore latitare testantur, initio appropriatis usus sit medicamentis. Tamen dispositionem malum penitus tolli non potuit. Sed ni cum Suerini comitis provincialibus interesset, ut non aliter quam sedendo respireare potuerit. gravissima, pedum abdominisq; intumescentia sa plurima symptomata gravissima, que spretus omni quam absentibus variorum locorum Medicis (quos utebatur) adhibitus remedium, tandem totum corporeum aabilitaveruntq; ut natura pariter pariterq; illa quam nihil deinceps sufficiendi animum despondeat limine constitutus, mortem non solum animo Christiano dignam præparationem instituit, dum Virum plurimum Reverendum & Excellentiss. REM MAURITIUM, SS. Theolog. D. P. P. fidelissimum, Amicum & Collegam nostrum habuit, & ex ejus sacro verbi divini ministerio, satione, animæ salutarem cibum, nempe sanctis guinem Christi in pignus & certissimam futuram devotissime manducavit. Hoc munitus robore divini meditatione firmatus, die 19. Mensis hoc postquam annos 51. vixerat, vitam cum mortali manque Creatori & Redemptori suo rediit in miro hujus mundi theatro, varium fo

ad Rei. omsit; In se præ- excellentis.

ISTE simus ita ND RE- sienium lebilitate spiratio- omnia a- latim ab piserunt eriti an- tenuit, per tuus q; quanti- esentibus r literas exhauste- lici tan- itaq; fa- d etiam timanas ASPA- dentem, expe- confes- & san- spem, ia verbi trepidem, ani- etiam, u susti- nuisse,

032  
Patch Reference number on UTI  
Patch Reference number on UTI

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No.

